

semper enim ab usufructuario retinetur. l. 38. ff. de Usufr. Non utitur usufructuarius, si nec ipse utatur, nec nomine ejus alius: puta qui emit, vel qui conduxit, &c.

463. QUÆRITUR 4. An Feudum possit locari à Vasallo. 2. Affirmativè. tit. 9. lib. 2. feud. §. donare. ibi. Licet possit locare, nisi locatio esset fraudulenta alienatio. Quare, supposita locatio communis, & superius tradita, quod locatio ad longum tempus sit alienatio, talis locatio feudi ad longum tempus non tenebitur secundum ea que in tract. de Feudis copiose dicta sunt. Quam sententiam tenent etiam Vulceius in comment. Feud. c. 10. n. 48. Zasius in sua Epit. p. 9. n. 12. Soubesius p. 12. n. 84.

Hinc sequitur, Majoratum quoque locari posse ad modicum tempus, intra quod si Locator moriatur, resolvitur contractus, ut patet ex dictis de Usufructu.

QUÆRITUR 5. An operæ diurnæ, mensuræ, annua locari possint. 2. Affirmativè (intelligendo honestas: nam ad inhonestas nemo se potest obligare, cum detur obligatio inermittendi.) l. 38. ff. h. t. Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet.

Movent aliqui hinc questionem, quænam operæ solant locari. Quæ tamen quæstio plus est facti, quam Juris. Donellus & cum eo Hannius dicunt, ea facta solita esse locari, quæ quis nostro nomine exercet, aut in re nostra, aut in nostra persona, pro certa mercede ipsi constituta, Locantur operæ in re nostra, v. g. si tecum convenio, ut domum meam exterius depingas, ut in area mea ædifices, ut jam supra declaratum est, ubi etiam dictum est, quod quando alter tibi ex sua materia confectam tradidit, potius sit venditio.

464. QUÆRITUR 6. Utrum Nobiles possint operas rusticorum suorum subdito- rum, quibus ipsi non indigent, aliis locare, aut delegare. Ratio dubitandi & affirmandi erat, quia ejusmodi servitia, quæ subditi Nobilibus, vel aliis Dominis prestare tenentur, vocantur operæ fabriles, vel artificiales, aut officiales, ut habet Tuschus v. Operæ. concl. 147. n. 5. atqui operæ fabriles possunt alieni cedi, ut tradit Iason, & alii.

Scabini Lipsienses, ut refert Berlichius Decis. 67. negatiè respondunt. Ipse Berlichius melius distinguit. Si enim necessitas imminet, ut si Dominus ære alieno sit oppressus, potest subditis suis imponere subsidium charitativum usque ad valorem operarum, vel eis mandare, ut alius pro eisdem operis serviant. Quod etiam tradiderat Baldus in l. si tempore. C. de oper. libert. n. 12. quod ego limitandum existimo, nisi Dominus sua culpa, v. g. luxu aut prodigalitate in eam necessitatem pervenisset: ad hujusmodi enim necessitatem sublevandam per operas qui-

bus alioquin Dominus non indiget, subditi non obligantur, cum inde nullum commodum sperare possint.

Extra hujusmodi necessitatem negat bene Berlichius, id Dominis licere. 1. Quia ejusmodi servitia potius sunt operæ obsequiales, & officiales, sive serviles, quales non possunt aliis cedi, aut delegari, ut habetur lege 26. §. 12. v. sed si delegatus. ff. de conditione indebiti. ibi. [Sed si delegatus sit à patrono officiales operas, dicit Marcellus non teneri eum, nisi forte in artificio sint, hæ enim jubente patrono, & alii edenda sunt.] 2. Quia hujusmodi servitia hodie dicuntur esse realia, & prædii inherere, adeo ut illi tantum debeantur, ad cuius dominium directum prædii pertinent. Vel certe si non coherent prædiis, coherent personæ, cui debentur. l. 9. ff. de Operis libert. [Operæ in retum natura non sunt: sed officiales quidem futuræ, nec cuiquam alii debentur, quam patrono, cum proprietatis earum, & in eadem persona, & in eus qui eduntur constituit. Fabriles autem aliæ ejus generis sunt, ut à quocunque cuiusque solvi possint. Sanè enim si in artificio sint, jubente patrono, & alii edii possunt.] 3. Probatum à paritate Vasallorum, quorum servitia, si Dominus directus non eget, non tenentur, eo jubente, alteri exhibere.

465. QUÆRITUR 7. An res fungibiles, consistentes in numero, pondere, vel mensura, locari possint. 2. Non aliter nisi forte ad pompam & ostentationem. Ratio est imprimis à pari, quia tales res commodari non possunt. l. 3. §. fin. ff. commodati. Non potest commodari quod usum consumitur, nisi forte ad pompam vel ostentationem quis accipiat. Ratio verò ex natura contractus desumpta est, quia in locatione res conceditur ad usum absque translatione dominii, & ut elapso termino locationis restituatur: atqui usus rerum fungibilium est ipsa consumptio seu abusus: ergo non possunt locari.

466. QUÆRITUR 7. An subsistat locatio, quæ tibi loco rem, quæ tua est, putans esse meam. 2. Negativè. l. 20. C. h. t. ibi. Qui rem propriam conduxit, existimans alienam, dominium non transferri (in locatorem) sed infirmam locatorem contractum facit. Valeret tamen Conductio si subisset tacita clausula Constituti, quæ quis velle rem alterius nomine possidere, & sic censeretur transferre dominium per hujusmodi fidam & virtuale traditionem, v. g. vendidi tibi fundum, sed quia necdum tradidi, maneo Dominus. Jam si fundum ære tradiderem, tacito constituto transferrem dominium & possessionem, ut observavit Georg. V Vidman, & habetur in l. 77. ff. de R. V. [Quadam mulier fundum ita non marito donavit per Epistolam, & eundem fundum ab eo conduxit, posse defendi, in rem ei competere, quasi per ipsam acquisiverit possessionem, veluti per coloniam.]

467. QUÆ-

467. QUÆRITUR 8. Si quis rei suæ possessionem conduxisset, an eam finito locationis tempore restituere, & deinde primùm vindicare, vel an statim retinere possit. Respondet citatus Auctor, esse prius possessionem restituendam, & deinde primùm de proprietate ligandum, & habetur l. 25. C. Locati. [Si quis Conductionis titulo agrum, vel aliam quamcumque rem accepit, possessionem prius restituere debet, & tunc de proprietate eligere.] Ex hac tamen lege solum probatur, ita esse dicendum, si Titus dubium sit, aut certe non evidens: nam si certus esset Conductor, rem esse suam, & posse dominium excipiendo in continenti probare, non obligat lex ad rem restituendam, quam quis statim iterum repetere potest. præsertim si subisset magna difficultas, & periculum recuperandi.

468. Quæri possit ultimum, quomodo possint, vel non possint locari res Ecclesiasticæ sine solemnitatibus ad alienationem requisitis. De hoc actum est tract. 4. n. 100. videri potest Covarruvias lib. 2. var. Resol. c. 16. & observanda Constitutio Pauli II. quæ incipit. Ambitiose, quæ habetur inter extrav. communes. de reb. Eccles. non alienandis. ubi locatio ultra triennium prohibetur, quod Covarr. intelligit de rebus singularis annis fructus ferentibus.

CONTROVERSIA VIII.

An Contractus Locationis transeat ad Successorem.

SUMMARIUM.

AN hæredes tam Locatoris, quam Conductoris tenentur insistere contractui, necdum ad finem perducto. 469. Quid sit adjectum sit: quoad voluerit is qui locavit. eod. An Empior rei locata teneatur stare contractui Vendoris. 470. Quid sit solum dominium utile vendatur. 471. Quid sit locatio facta esset ad longum tempus. 472. Si Empior rei locatorem continere, an Conductor teneatur. 473. An Fiscus succedens in bonis confiscatis teneatur stare contractui facto per condemnatum Locatorem. 474. An condemnatus teneatur Conductor ad interesse, si cetero teneatur, si rem vendidisset. eod. An Fideicommissarius teneatur stare contractui locationis factæ ab hærede gravato. 475. An possit Conductor agere adversus Locatoris hæredem gravatum, ad interesse. 476. An Minor teneatur stare contractui facti à suo Tutore quæ tali. 477. An soluto matrimonio, & re dotali prius à marito locata, teneatur uxor stare contractui. 478. Christ. Haen. de Jus. Tom. IV.

Resolutio Antonii Gomez. Præsertim tamen opinio afferentium, uxorem teneri si locatio facta sit ad modicum tempus. 479. & 482. Intell. eius legis 25. §. 1. ff. soluto matrim. 481.

469. Regula est, hæredem tam Locatoris, quam Conductoris tenentur insistere contractui, necdum ad finem perducto, nec posse, altero invito à contractu recedere. Ratio est, quia hæres succedit in omnes obligationes defuncti: ergo sicut defunctus tenebatur contractum observare, ita hæres: quod eleganter expressit Imperator Gordianus in l. 10. C. h. t. sic scribens Pomponio. [Viam veritatis ignoras non Conductionibus, non succedere hæredes Conductoris exitimans: cum in perpetuum conductio est, etiam ad hæredes transmittatur: sive temporalis, intra tempora locationis hæredi quoque onus contractus incumbat.] Et in hoc differt iste Contractus à Contractu Societatis, & Mandati, qui Contractus non transeunt ad hæredem. Sed quid sit Locatio ita facta sit: quoad voluerit is, qui locavit: an morte illius solvetur. 2. Affirmativè. l. 4. ff. h. t. Locatio ita facta, quoad is qui eam locasset, dedisset, vellet. Morte ejus qui locavit, tollitur. Ratio est, quia post mortem nemo amplius velie potest: ergo cessante causâ conservativa cessat Contractus pendens ab illa.

Procedit Regula etiam quando materia Contractus consistit in factis, vel artificio: nisi tale esset, quod per se inhereret, & per hæredem præstari non possit.

Major difficultas est circa Successores particulares, an in eos transeat obligatio Antecessoris.

470. DUBITATUR ergo 1. De Emptore rei locata, an teneatur stare contractui Locatoris Vendoris. 2. Si emit ab alio, quàm à Fisco, negativè: possit enim expellere Conductorem: qui tamen habet actionem personalem adversus Locatorem aut hæredes illius ad interesse præstandum, ut solvat, quantum Conductoris intererat contractum fuisse ad finem perductum. l. 9. C. h. t. [Emptorem quidem fundi necesse non est stare colono, cui prior Dominus locavit, nisi ea lege emit: verum, si probetur aliquo pacto consentisse, ut in eadem Conductione maneat, quamvis sine scripto, bonæ fidei iudicio ei quod placuit parere cogetur.] & l. 25. §. 1. ff. eod. [Qui fundum fruendum, vel habitationem alicui locavit, si aliqua ex causa fundum, vel ædes vendat, curare debet, ut apud Emptorem quoque eadem pactione & colono frui, & inquilino habitare liceat, alioquin prohibitus, is agat cum eo ex conducto.] Consentit Ius Bavaricum tit. 17. a. 5.

Quod si verò emit à Fisco, tunc ex speciali privilegio Fisci non potest Conductorem expellere, ut habetur in lege fin. ff. de Iure Fisci. ibi.

N 2

Sed

Sed Colonum quidem percipere fructus debere, Emptorem vero pensionem ejus anni accepturum. & additur ratio. Ne Fiscus Colono teneatur, quod ei frui non licuisset.

471. Responso procedit non solum quando locator vendit vel alienat alio modo dominium proprietatis Rei locatæ, verum etiam quando solum alienat dominium utile, vel usum fructum: quapropter Emphyteuta, Feudatarius, Usufructuarius, possunt expellere Conductorem, habetur expressè in l. 59. §. 1. ff. de Usu. ibi. [Sed ad exemplum venditionis, nisi fuerint specialiter exceptæ, potest Usufructuarius conductorem repellere.] Ratio est: quia ut paulo antè dictum est, Conductor non habet nisi actionem personalem adversus Locatorem: atqui usufructuarius comparat jus in re: ergo ad nihil tenetur Conductor vi præcedentis Locationis.

472. Sed quid si locatio fuisse ad longum tempus, adeoque (in nostra sententia superius defensa) Conductor competeret jus in re, tantum habenti utile dominium? Tunc locatoris successores particularis in proprietate teneretur stare contractui, ob rationem oppositam. Ob eandem rationem idem dicendum esset, si Conductor fuisset res locata oppignorata, sive generali sive speciali hypothecâ jam enim acquisivisset jus in re, possitque rem locatam pignoris loco retinere, donec sibi satis fieret quoad interesse locationis non observata, ut tenet Bartolus in leg. 32. ff. h. t. dicens, ita se in facto obtinuisse. Quem sequuntur ceteri Interpretes.

Sed contra prius dicta objici possent. Si pactum deductum est, ut emptor non possit Conductorem expellere, tunc non potest expelli ab emptore, ut supponitur in lege 9. C. h. t. illis verbis: nisi eâ lege emit. atqui etiam hoc casu non habet conductor nisi actionem personalem adversus locatorem: ergo non posset ex pacto in toto cum emptore juvari, si eatio allata bona & solida esset. Ad hoc respondet Gomez (iterum ut suo iudicio solet, subtiliter) quod junctum cum illa actione personali concurrat jus reale retentionis, & detentionis, quam habet in ea conductor: quia sicut in re potest dari & considerari dominium & possessio, ita etiam detentio, quæ affert maximum commodum, & saltem jus retentionis. Hæc tamen responso mihi nec subtilis videtur, nec solida: non subtilis, quia est manifesta petitio principii, queritur enim, cur in hoc casu maneat jus retentionis, non item mansurum, si emptor illud pactum non inivisset. Non solida: quia etiam procederet in casu non adjecti pacti, si ratione retentionis conductor haberet æquivalenter aliquid jus in re. Aliter ergo respondeo, Conductorem vi illius pacti acquirere jus personale contra emptorem, quia vigore legis adductæ hanc actionem tacite

cedit Locator Conductor, nisi malit à Conductore conveniri ad interesse. arg. l. 33. ff. h. t. ibi. [Nam et si colonus tuus fundo frui à te aut ab eo prohibetur, quem tu prohibere, ne id faciat, possis, tantum ei præstabis, quanti ejus interfuerit frui.]

473. DUBITATUR 2. Si Emptor velit contractum Locationis continuare, an Conductor quoque teneatur. R. Negativè. l. 32. ff. h. t. [Qui fundum colendum in plures annos locaverat, decessit, & eum fundum legavit. Callius negavit, posse cogi colonum, ut eum fundum coleret: quia nihil hæredis interesset.] Ratio est, quia æquitas non patitur, ut emptori competat jus expellendi colonum seu conductorem, & non pariter Conductor competat jus recedendi à Locatione. Ceterum est aliqua admittenda dispar conditio inter emptorem & conductorem. Nempe possit locator cedere emptori actionem quam habet adversus Conductorem, ut stet contractui, quâ actione si uti velit emptor, hoc ipse fecerit obligat ad standum contractui.

474. DUBITATUR 3. An Fiscus succedens in bonis confiscatis, teneatur stare contractui locationis factæ per condemnatum locatorem. In quo puncto distinguendum est, utrum Fiscus succedat in bona determinata, & tanquam successor particularis, vel an tanquam successor universalis, in universitatem bonorum.

Loquendo de priorè casu. Respondetur ad dubium negativè. Ratio est, quia se habet sicut quivis alius successor particularis. Verum,

Controversum est, utrum condemnatus teneatur conductor ad Interesse, sicut teneretur, si rem vendidisset. P. Molina d. 491. postquam rotundè dixisset: [sed neque condemnatus teneatur tunc conductor ad Interesse, sed solum ad remissionem pensionis, aut restitutionem illius, si illam jam acceperat, pro reliquo temporis, quo ea de causa non licuit conductori re illâ frui:] dixissetque, utrumque haberi in l. si fundus ff. locati, postea tamen quasi dicti pœnitens magis propendit in partem affirmantem, existimans legem adductam fortasse non loqui de publicatione ob maleficia locantis, sed in bonum publicum, ut daretur militibus. Nam lex aperte docet, si per locatorem steterit, quominus conductor frueretur re locatâ, saltem quia efficere potuit, ut alius non impediret eum illâ frui, tunc teneri illi etiam ad Interesse: atqui quando culpa locantis confiscatur res locata, eaque de causa conductor prohibetur à fisco eâ frui, utique locator abstinendo ab ea culpa efficere potuit, ac debuit, ut conductor non prohiberetur à fisco frui: ergo juxta illam ipsam legem tenebitur locator conductor. Itâ Molina. Verum, si

textus

textus attentè consideretur, non videtur admittere interpretationem Molinæ: tunc enim soluta condemnat locatorem ad Interesse, quando vel ipse locator impedit conductorem ab usu, vel alius quem locator possit prohibere, ne impediret: atqui fisco non potest impedire, ergo tunc non tenetur. Lex 33. ergo sic habet. [Si fundus, quem mihi locaveris publicatus sit, teneri te (secundum Africanum) actione ex conducto, ut mihi frui liceat: quamvis per te non stet, quominus id præstes. Quemadmodum, inquit, si infalam adificandam locasses, & solum corruisset, nihilominus teneberis. Nam et si vendideris mihi fundum, isque prius quam vacuus traderetur, publicatus fuerit, tenearis ex empto: NB. quod hæcenus verum erit, ut premium restituas: non ut etiam id præstes, si quid pluris mea interit, eum vacuum mihi tradi. Similiter igitur & circa conductionem servandum puto, ut mercedem quam præstatorum, restituas, ejus scilicet temporis quo fructus non fuerim, nec ultra actione ex conducto præstare cogaris. Nam NB. & si colonus tuus fundo frui à te aut ab eo prohibetur, quem tu prohibere, ne id faciat possis: tantum ei præstabis, quanti ejus interfuerit frui, quo etiam lucrum ejus continebitur. Sin vero ab eo interpellabitur, quem tu prohibere propter vim majorem aut potentiam ejus non poteris, nihil amplius ei, quam mercedem remittere, aut reddere debbis.] Neque favet Molinæ glossa quam citat, nam licet glossa dicat: ex g. ut daretur militibus statim tamen addit: *vel ex causa maleficij alicujus.* Quod parum juvat, quod locator eandem potuisset impedire confiscationem, si non deliquisset. nam lex non dicit: impedire: sed: prohibere. Unde merito Lugo recedit ab hac doctrina rigida, quia Locator non censetur in talem casum adeo remotum consensisse. alioquin idem dicendum esset, si ex culpa aliqua alium ad iram commovisset, qui fundum deinde destruxisset.

Loquendo nunc de Fisco successore universalis, respondetur, eum teneri instar hæredis stare contractui locatoris cui succedit. Colligitur ex lege 2. C. ad legem Juliam de V. publica. [Tutoris tui lege Julia de vi privata damnati, si tertia pars bonorum fisco vindicata est, tutelæ actionem pro eâ portione adversus fisco dirigere. Nam successio pro oneribus portionis suæ respondet.]

475. DUBITATUR 4. An fidei commissarius teneatur stare contractui locationis factæ ab hærede gravato. R. Negativè. Ratio est, quia hæres gravatus non habet jus disponendi de fidei commissio in tempus restitutionis faciendæ, quia tenetur sine onere restituere, sine quo illud accepit. Unde iterum locus est regulæ sup. adductæ: Resoluto jure dantis resolu-

vitur jus accipientis. Quapropter etiam Conductor integrum est à contractu recedere, etiam si fidei commissarius vellet continuare: nam si contractus utrinque onerosus claudicaret, non servaretur æqualitas.

476. Quæres. An possit Conductor agere adversus Locatorem hæredem gravatum, ad Interesse. R. Cum distinctione. Si enim Conductorem inficium decepit, dissimulando gravamen fidei commissi, tenebitur utique hæres in conscientia, ob dolum ab antecessore commissum. Si vero conductor gravamen sciivit, & per consequens agnovit, contractum non posse ulterius extendi ad fidei commissarium, non poterit agere ad Interesse, sed ad mercedem repetendam, si quam in anecessum solvit. Quod tenetur locator quando dissimulavit gravamen, colligitur à paritate usufructuarii, de quo lege 9. §. 1. versu. Quid tamen, sic statuitur. [Quid tamen si non quasi fructuarius ei locavit, sed quasi fundi dominus? videlicet tenebitur, deceptum enim conductorem.]

477. DUBITATUR 5. Vtrum Minorennis teneatur stare contractui facti à suo tutore quâ tali. Communis sententia affirmat, & attentâ ratione, quâ se fundat, omnino teneanda est: nam quivis tenetur ad id, ad quod ut teneretur, legitime suo nomine alius gessit. Ius tamen quod pro se adducunt DD. non probat intentum, quin potius probare videtur oppositum, nempe, quod non tenetur nisi tunc, quando Tutor celebravit contractum ex necessitate, nempe justus à testatore, est autem lex 8. ff. de administr. tut. [Si tutela agaris, cujus tutela administrata est, dicendum est, non nunquam diem creditæ pecuniæ expectandum, si forte tutor pecunias crediderit papilli nomine, quarum exigendarum dies nondum venit: sanè quod ad pecunias atinet, NB. ita demum verum est, si potuit & debuit credere: ceterum si non debet credere, non expectabitur.] Ne ergo lex hæc communi sententiæ obstet, dicendum videtur, hoc esse speciale in mutuo; propter illa verba, quod ad pecunias atinet. Et ratio specialitatis esse potest, quod mutuum non sit contractus utrinque onerosus, sicut est Locatio.

478. DUBITATUR 6. Vtrum soluto matrimonio, & re dotali prius à marito locatâ, teneatur tutor stare contractui. Difficultatem non exigunt ingerit textus legis 25. §. 4. ff. soluto matrimonio. qui varias lectiones habet, & diversas interpretationes recipit. [Si vir in quinquennium locaverit fundum, & post primum fortè annum divorcium intervernerit, Sabinus ait, non aliis fundum mulieri reddi oportere, quam si eaverit, si quid præter unius anni locationem maritus damnatus sit, id à se præstatum iri. Sed & mulieri cavendum, quidquid præter (aliqui legunt: propter. alii post.) primum

annum ex locatione vir consecutus fuerit, se ei restitutum.] Ex hoc textu.

Antonius Gomez sic resolvit dubium, quod uxor vel hæredes ejus teneantur stare contractui, & similiter ipsa possit compellere Conductorem ad ejusdem observationem. Hoc tamen vult ita intelligendum esse, non quod præcisè teneatur stare contractui, sed *casu*: quia si non vult approbare & confirmare, conductor poterit agere contra maritum ad totale interesse, & ideo uxor vel ejus hæres non potest rem locatam occupare, nisi postea cautione marito vel hæredibus de indemnitate. Ità Gomez, cujus doctrinam P. Molina ita interpretatur, quasi absolute potius dixisset, mulierem, non teneri stare contractui, sed posse conductorem expellere: neque conductorem posse ad uxorem vel hæredes ipsius quidquam excipere ad hoc ut possit in contractu perseverare: maritum tamen ejusque hæredes teneri conductori ad interesse, si per uxorem aut hæredes expellatur. Et ita tenet P. Molina.

Alii simpliciter affirmant eam teneri, si locatio facta sit ad modicum tempus. Ità alius teulais Treutlerus th. 2. & ante eum Duarenus: Covarr. nec improbat Hunnius. v. g. si locatio facta sit ad annum, quod tunc mulier stare teneatur contractui, quasi maritus, cui mulier fundum dedit in dotem, in annum locandi facultatem ab ea accepit, mulier quippe, quæ fundum dat fructum marito pro oneribus matrimonii, omnia ei concedere videtur, quæ ad fructuum perceptionem spectant, cujusmodi est locatio in annum facta. Quodsi vero in longius tempus, v. g. quinquennium (ut ponitur casus in lege cit.) facta sit locatio, tunc mulier non cogitur stare locationi, quia ea facta censetur contra verum nilen uxoris voluntatem, quæ fundi usum fructum ita marito concessisse creditur, ut tota ejus in re gestio & administratio tempore usus fructus concludatur, nec illud tempus nisi ex necessaria causa excedat. Hanc sententiam sequar, sed ex alio fundamento, ut patebit.

480. Contra doctrinam Gomezii & Molinae urget difficultas quam ipse Molina advertit. Vel enim Conductor scivit, rem locatam esse dotalem, vel nescivit, & fraude inductus est a marito. Si scivit, tunc maritus ad nihil illi tenetur, & consequenter nec uxor. ratio est supra tradita de herede gravato locante fideicommissum, nempe quia non censetur contractus in tempus soluti matrimonii extensus. Si vero Conductor fraude inductus est a marito, tenebitur quidem maritus, & hæredes illius, sed non appareat, cur uxor debeatur maritum servare indemnem, si ipsa non fuit auctor fraudis.

481. Ob hanc difficultatem merito censet Lugo illi legi alium subesse sensum, quam il-

li quem, ut vidimus, communiter Interpretes extimant inesse. Non, inquam, agitur in illa lege 25. §. 5. ff. sol. matr. de Interesse quod locator debet conductori, quando iste a successore expellitur ante lapsum temporis: sed loquitur de aliis pactis & obligationibus, quas maritus in contractui locationis forte suscepit, à quibus debet eum uxor indemnem præstare: & hoc conformiter legi 55. (quæ in quibusdam exemplaribus est 56. ff. eod.) [Cum mulier de dotis repetitione post solum matrimonium agit, cavere debet marito, qui ad diu nomine damni infecti cavet, si velit eam recipere, ut periculum mariti amoveat.] Ecce! mulier tenetur indemnem servare maritum, qui caverat de damno infecto. Sic etiam in lege 25. §. 4. est sermo de aliis pactis, quæ forte in contractui locationis interveniunt: v. g. si promisit colonis triticum ad feminandum commodare, animalia ad arandum, &c. quas obligationes licet maritus teneatur sustinere pro primo anno, quo fructus locationis ad ipsum spectantur, pro residuis tamen annis illius quinquenni uxori hæ obligationes incumbunt, quibus emolumenta locationis percipit: & ideo maritum non potest debeat loco mariti cavere. Hac legis interpretatione supposita, constat, ex hac lege non posse probari, quod uxor possit expellere conductorem, si velit cavere, quod velit pro marito satisfacere conductori, ob contractum non servatum.

Videndum ergo restat, an ex alio capite possit mulier ab obligatione servandi contractum liberari. Et videtur primò fronte dicendum, ideo esse liberam, quia habet se sicut alii successores singulares, vel sicut fideicommissarius, de quibus supra dictum est, non teneri, eò quod hæres gravatus non potuerit extendere contractum ad tempus restituendi fideicommissi, ergo similiter maritus non potuit extendere contractum ad tempus soluti matrimonii. Hoc tamen non obstat.

482. DICENDUM potius videtur, uxorem etiam soluto matrimonio teneri ad continuandum contractum. Ratio est, quia potius se habet mulier in hoc casu respectu mariti, sicut se habet minorenis respectu Tutoris aut Curatoris, quia marito competebar bonorum dotalium administratio, ergo sicut diuimus, minoreni teneri stare contractui, ita etiam de uxore dicendum est. Hæc est reipsa mens summarii appositæ illi §. 4. quod sic habet in corpore glossato. [Locationi facta per virum uxor stare teneatur: ideo caveatur de interesse si contra fecerit: & pensio post solum matrimonium spectat ad eam; & ideo vir caveat ei de restituendo si eam percepit. Alexand.]

Dices cum Mel. & aliis, non esse paritatem inter Maritum & Tutorem, quia maritus administrat bona nomine proprio, tutor nomine pupilli.

pilli. Sed contra est, quia administrat maritus illa bona nomine utriusque, & ex consensu uxoris, penes quam manet naturale dominium, ut suo loco probatum est.

DUBITATUR 7. An Beneficiarius, Prælatus, Episcopus, &c. debeat stare contractui inito à Prædecesore. 22. Affirmative, ob rationem allatam, quia Prædecessor fuit bonorum Ecclesiæ Administrator. Ergo sicut minorenis, ita & Successor stare teneatur. Consentit Lus. Bav. tit. 21. a. 7.

CONTROVERSIA IX.

Merces quo tempore sit solvenda, & quando præsumatur soluta.

SUMMARIUM.

Si nihil in pactum deductum est, observanda locorum consuetudo. 483.

Deficiente consuetudine quid præsumendum. eod.

Si non constet, annis pluribus præteritis factam solutionem pensionis, constat autem aliquibus esse factam, an præsumptio sit pro Conductore. 485.

Sententia Cravetæ rejicitur. 486.

Quid si in libro Creditoris apparent tres continuæ solutiones, & nihil de prioribus. 487.

An præsumptio procedat in casu quo Locator rem locatam vendidit cum obligatione continuandi Contractum, deinde Conductor tribus continuis annis solvit Emptori. 488.

483. DICENDUM est, ante omnia observandum esse pactum contrahentium: quod si nihil in pactum deductum est circa tempus solutionis, observandam esse locorum consuetudinem, quæ varia est, nam alicubi singulis semel tribus pars dimidia solvitur, alicubi singulis angariis quarta pars, alicubi singulis quadrimelstribus tertia pars. Quodsi ex consuetudine nihil certi constare potest, præsumptio est, quod mens contrahentium fuerit, ut ad finem anni integra solvatur. Quæ omnia constant ex Regula Juris 34. [Semper in stipulationibus, & in ceteris Contractibus id sequimur, quod actum est: aut si non appareat, quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in Regione, in qua actum est, frequenteratur. Quid ergo, si neque Regionis mos appareat, quia varius fuit: ad id quod minimum est, redigenda summa est.] At qui annus solet in locatione esse terminus minimus. Ergo. Quodsi ad brevius tempus, quam ad annum locatio facta esset, satis erit, ad finem tempus solvi: cuius ratio desumitur à paritate emptionis: nam pretium non tenetur emptor solvere, nisi venditor ex parte sua Contractum impleverit: atqui Locator tunc primum ex parte

sua Contractum implevit, quando tempus contritutum exspectavit. Ergo, &c. Quodsi locatio ad plures annos facta est, censetur tot esse locationes, quot anni in pactum deducti. l. 29. ff. de V. O. [Sic debemus, in stipulationibus tot esse stipulationes quot summa sunt, totque esse stipulationes quot species sunt.]

484. DUBITATUR 1. An merces solvenda sit antequam fructus sint collecti, si solvenda est ex fructibus. 22. Negative, arg. legis 26. ff. quando dies legatorum cadat, ubi dicitur: [Firmio Heliodoro fratris meo dari volo quinquaginta ex reitu prædiorum meorum futuri anni. postea (id est: propterea) non videri conditionem additam, sed tempus solvendæ pecuniæ prolata videri respondit. Fructibus tamen relicta pecuniæ non perceptis ubertatem esse necessariam anni secundi.] Cujus legis, reverè obscuræ, sensum Gothofredus sic reddit. Si cui legavero quinquaginta ex reitu fundi Tusculani, neque quinquaginta ex reitu ejusdem percepta sunt, non privabitur legatarius sui legari commodo: sed anni sequentis ubertatem expectabitur. Ratio autem est, quia hoc ipso quod ex fructibus est facienda solutio, intentio contrahentium est, ut fructus prius fuerint percepti.

485. DUBITATUR 2. Si non constet, an pluribus præteritis annis facta fuerit solutio pensionis, constat autem, aliquibus annis fuisse solutam, an hinc præsumptio sit pro Conductore. 22. Tunc fore præsumptionem locationis factæ etiam prioribus annis, si possit Conductor ostendere, se tribus continuis annis solvisse tribus solutionibus distinctis, uno quoque anno factis. l. 3. c. de Apochis publ. [Quicumque de Provincialibus, & Collatoribus decursio posthac quanti libet annorum numero, cum probatio aliqua ab eo tributaria solutionis exposcitur, trium coherentium sibi annorum Apochas securitatesque protulerit: (superiorum temporum Apochas non cogatur ostendere.) Et ita tradunt Menochius de præsumpt. lib. 3. præf. 139. Mascardus de probationib. concl. 603. vol. 2. Potest tamen illa præsumptio contrariè probatione elidî, nam statim in lege subjungitur. [Nisi forte aut curialis, aut quicumque apparitor, vel optio, vel actuarius, vel quilibet publici debiti exactor, live compulso possessorum, vel collarorum habuerit cautionem, aut id quod reposcit, debet sibi manifestâ fecerum assertionem patefecerit.]

486. Porrò, tamen Craveta conf. 313. censuerit, legem requirere, ut tribus ultimis annis probetur facta solutio, hoc tamen alii DD. non requirunt, neque id lex dicit, quare sufficere probari, tribus continuis annis factam fuisse solutionem, ut de præcedentibus annis eadem facta præsumatur, etiam si posterioribus annis non sit facta solutio, quia non est considerabilis ulla major difficultas probationis ob temporis dilu-

CONTROVERSIA X.

An Conductor acquirat fructuum perceptorum dominium antequam solvat mercedem.

SUMMARIUM.

Verior est sententia affirmativa. 490.
An res vendita censetur esse oppignorata, dum venditor est Dominus. 491.
Intellectus legis et. §. 8. ff. de furtis. eod.

turnitatem. Nam si elapso triennio solutionis locator petisset præteritorum annorum solutiones, fuisset utique exceptioe remotus fundatis in triennali solutione: ergo etiam repellatur, quando Conductor cessavit deinde solvere: quia non amittit lus jam quæsitum per triennalem solutionem adversus annos præcedentes. Hinc corripit fundamentum Cravetæ, dum sic dicitur. Sicut ex solutione trium annorum continuorati arguitur solutio annorum ante præteritorum, ita ex cessatione subsequentium annorum arguetur ante non solutum. Nam una præsumptio aliam tollit. Negatur consequentia, & paritas. Ratio disparitatis est, quia respectu anteriorum annorum jam est quæsitum lus excipiendi, & onus probandi contrarium conjectum est in Locatorem: respectu annorum posteriorum hoc non verificatur.

487. Controversum ultimum est, an hæc præsumptio solvæ mercedis etiam locum habeat, quando in libro Creditoris apparent scriptæ tres continuæ solutiones, nihil tamen legitur scriptum de solutionibus anteriorum annorum. Dissentiant in hoc puncto DD. quos conciliat Menochius n. 20. distinguendo. Nam aut Creditor consuevit ipse solus scribere suo in libro solutiones quas recepit, & debitor dare apocham receptarum solutionum: & hoc casu putat adhuc procedere præsumptionem pro debitore: & præsumitur Creditor ex incuria non scripsisse. Aut Creditor consuevit etiam scribere in libro solutiones ipsas, & ipsi debitores exhibent suos libros, in quibus non apparent solutiones anterioris temporis, tunc contra debitorem præsumitur, qui si solvisset, utique curasset solutiones in suo libro scribi, sicut curavit tres illas continuas scribi. Ceterum, quia hæc præsumptiones sunt pondus hominum, quam iuris scripti, ad iudicem pertinet, examinare diligentius circumstantias omnes.

488. Controversum denique potest esse, utrum hæc præsumptio procedat in hoc casu, quo Locator rem locatam vendidit cum obligatione continuandi Contractum, deinde Conductor tribus continuis annis solvit Emptori pensionem: quæritur, inquam, an contra Locatorem sit præsumptio, si prætendat, sibi non esse solutas pensiones. Negativè responderet Menochius n. 32. & ait, esse rationem manifestam, quia nullas ipse recepit solutiones, quibus consentire, & præterito credito quodammodo renuntiare dicitur. Ego tamen huic rationi nullo modo acquiesco, quia iura superioris adducta non fundant præsumptionem in Renuntiatione, sed potius in facta solutione tria, unde inferunt, præsumendam esse solutionem etiam priorum, nisi contrarium probetur. Itaque in casu posito censetur potius

Venditor & Emptor per modum unius persone.

489. Negant multi post Bartolum, & habent sane speciosum fundamentum, desumptum à paritate Emptionis Venditionis: in quo contractu non transferitur rei venditæ dominium in Emptorem, etiamsi ei sit tradita, nisi vel pretium sit solutum, vel venditor sequatur fidem Emptoris, & habeat pro soluto, aut cautionem acceperit, ut suo loco dictum est. Ergo nec fructus (qui rei venditæ comparantur) ad Conductorem (qui comparatur Emptori) pertinebunt, quamdiu pensionem non solverit. Ad hoc fundamentum respondet cum aliis P. Molina d. 497. Illud esse specialiter statutum in contractu Emptionis, contra naturam rei, & communem Regulam quæ per traditionem transfertur dominium. Adeoque non esse extendendum ad contractum locationis. Sed urgebunt adversarii, ad Contractum locationis id ipsum extensum videri per lus apertum sup. ad initium hujus capituli, quod contractus Locationis iisdem iuris Regulis consistat, ut loquitur Iustinianus *br. hujus tit.* Ad hanc tamen replicam respondendum est, sicut in simili supra respondi, hoc Iustiniani dictum sibi plus non velle, quam quod uterque contractus solo consensu perficiatur, statim enim sequentibus verbis se declarat Imperator dicendo. [Nam ut Emptio & Venditio, ita contrahitur, si de pretio convenit: sic & locatio conductio ita contrahi intelligitur, si merces constituta sit.]

490. Verior ergo est sententia, Conductorem fieri dominum fructuum perceptorum, etiamsi non solverit pensionem: quia non solum nullo iure contrarium constitutum est, sed praxis etiam hoc observat.

Confirmatur. Quia nemini potest res sua esse oppignorata, atqui fructus sunt locatori tacite ipso iure oppignorati: ergo lus supponit, locatorem non esse dominum. Minor probatur ex lege. 7. ff. in quibus causis pig. tacite contr. [In prædiis rusticis fructus, qui ibi nascuntur, tacite intelliguntur pignori esse domino fundi locati, etiamsi nominatim id non convenerit. & in lege 25. §. 1. ff. h. t. Si colonus locaverit fundum, res posterioris conductoris domino non obligantur: sed fructus in causa pignoris manent,

ment, quemadmodum essent, si primus colonus eos percepisset.

491. Objicies 1. Etiam res vendita & tradita censetur esse pignus, & tamen venditor manet dominus: ergo ex eo quod fructus dicantur esse pignori, non rectè illatum est, dominum non esse penes locatorem. 2. Negando antecedens, non enim dicitur esse pignus, sed retineri à venditore quasi pignus. hoc est, eam non teneri ad tradendum, nisi postquam offeratur pretium, ut suo loco declaratum est, nec hic repetendum.

Objicies 2. Domino fundi competit etiam fructus, necdum soluta pensione. ergo supponitur esse dominus fructuum. antecedens probatur ex lege 61. §. 8. ff. de furtis. 32. Quin potius ex hac lege confirmatur nostra sententia, ut legenti patet, & sic habet. [Locavi tibi fundum, & (ut aliolet) convenit, ut fructus ob mercedem pignori mihi essent: si eos clam deportaveris, furti tecum agere posse ajebat.] (Ecce! supponitur conventum esse, ut essent pignori. Quod autem actio furti competat adversus dominum qui pignus auferit, dictum est tract. 2. & habetur l. 3. ff. de pignor. act. [Signasi recepturus à debitore tuo cominus pecuniam reddidisti ei pignus, isque per fenestram id misit, exceptore quo, quem de industria ad id posueris, Labeo ait, furti te agere cum debitore posses. Et est tu alii fructus pendentes vendideris, & emptor eos deportaverit, consequens erit, ut in furtivam causam eos incidere dicamus: etenim fructus quamdiu solo cohæreant, fundi esse, & ideo colonum quia voluntate domini eos percipere videatur, suos fructus facere, quod certe NB. in proposito non æquè dicitur: quæ enim ratione coloni i possint, cum emptor eos suo nomine capiat? Ergo si non emptor, sed ipse conductor fructus colligat, fiet eorum dominus. Ergo lex ista favet potius nostræ sententiæ. Quomodo autem salva definitione furti possit esse locus actioni furti, quando quis auferat rem suam alteri habenti jus reale in illa, explicatum est loco citato.

CONTROVERSIA XI.

An & quando aliquid de Mercede seu Pensione remittendum sit, ob sterilitatem.

SUMMARIUM.

Quid præstat iure nature dicendum sit. 492.

Quidsi Conductor in se recipiat omnes casus fortuitos.

493.

Christi. Flam. de Just. Tom. IV.

Quinam Casus fortuiti censentur tali pacto comprehendi. 494.

Si nulli fructus colligi possint, an liberetur à pensione solvenda. 495.

Quidsi sterilitas non quidem est omnimoda, sed tamen magna. 496.

Quidsi sit modica. 497.

Quanam censenda sit immodica sterilitas, & quomodo æstimanda. 498.

Pro quo tempore copia vel paucitas fructuum consideranda & computanda. 499.

An ad hoc ut conductor penitus liberetur, sufficiat, si deductis expensis nulli fructus sint residui. 501.

An aliquid remittendum, quando causa sterilitatis non est insolita. 502.

Quidsi sterilitas proveniret ex eo, quod conductor sit incautus. eod.

Quidsi pateret sterilitas esse pœna Dei. 504.

An Partuario aliqua remittatur ob sterilitatem. 506.

Quidsi unius anni sterilitas aliis annis compensetur. 507.

Quandonom censetur facta compensatio sterilitatis. 508.

492. **A**dvertendum est cum Theologis, Molina, Lessio, Lugone & aliis, spectato iure nature, & seclusis legibus positivis, casum sterilitatis quantumvis magnæ, non excusatum conductorem ab obligatione solvendi pensionis, quæ in pactum deducta est. Ratio redditur ex paritate emptionis: conductor enim comparatur emptori, qui emit spem fructuum, sicut quis emit spem capture per pactum retis. ergo sicut in hoc casu fortuitus obest vel prodest emptori & non venditori, ita & in casu sterilitatis. Hoc tamen est intelligendum, si pensio esset taxata secundum spem fructuum quantum valet, æstimato simul periculo probabili futura sterilitatis: nam si taxata esset pensio secundum æstimationem fructuum, quos fundus melioribus annis solet afferre, non procederet hæc doctrina, quia potius censeretur contractus esse conditionatus: si non superveniat extraordinaria sterilitas.

493. Quando ergo in pactum deducitur, ut Conductor in se recipiat omnes casus fortuitos, & ob hoc ipsum pensio temperatur, Contractus iste reducitur ad primæviam suam naturam: adeo ut P. Molina, & ex eo Lugo, existimet, consulem fore si univ'er saliter statureretur, conductores omnes ad casus fortuitos obligari, quandoquidem ex privilegiis à jure concessis pro causa sterilitatis aut alterius infortunii, innumeræ lites & perplexitates oriuntur, ob difficultatem probationum, diversitatem opinionum inter DD. quibus præbetur Iudicibus anxia favendi ex privato affectu uni parti præ alia. Verum hæc ratio fortè nimium probat, sed non vacat im-

X

mora.

morari, cum non de legibus condendis, sed de jam conditis solliciti esse debeamus.

494. Circa pactum tamen, quo conductor renuntiat casibus fortuitis, merito dubitatur, quomodo se illud extendat, an censetur solum renuntiare casibus quandoque evenire solitis, & suspicabilibus, an etiam insolitis & insuspiciabilibus, cuiusmodi esset terræ motus in nostris partibus, in quibus à longissimo & fortè immemorabili tempore nullus exstitit vehemens. Antonius Gomez, & alii DD. Hispani ac Lusitani censent, eum solummodo renuntiare se solitis, nisi aliud exprimat. Econtra Pinellus & alii censent, quòd etiam insolitis renuntiatum sit; quam sententiam ad longum propugnat Hunnius q. 19. Sed prior sententia est communior, & ut vult Molina, in praxi observanda, quamvis juris apicibus inhærendo posterior faciliùs defenderetur, præsertim, quòd communior sententia se fundet in textu valde dubio *l. s. ff. de frumenta. ff. de contr. empt.* ubi est legatur in quibusdam exemplaribus negativa, in plerisque tamen exemplaribus omittitur partic. Negativa, & legitur: [Si nives immoderate fuerint, & contra consuetudinem tempestatis, agi tecum ex empto poterit.] His quoad lus naturæ suppositis, videndum nunc est, quid ex quadam æquitate, seu iusta commiseratione leges statuerint quoad casum sterilitatis.

495. DICENDVM 1. Si nulli penitus fructus à conductore colligi possunt ob sterilitatem omnimodam, undecumque ea, modo absque conductoris culpa, liberatur conductor penitus à pensione solvenda. *l. 25. §. 6. ff. h. t.* [Vis major, quam Græci vim divinam appellant, non debet conductori damno sa esse, si plus quam tolerabile est, læsi fuerint fructus.] Sed melius, magisque specificè id continetur in lege *15. §. 2.* [Si vis tempestatis calamitosa contigerit, an locator conductori aliquid præstare debeat, videamus. Servius omnem vim, cui resisti non potest, dominum colono præstare debere ait, ut puta fluminum, graculorum, sturnorum, & si quid simile acciderit (cujusmodi esset damnum per locustas datum) aut si incurtus hostium fiat: si quæ tamen vitia ex ipsa re oriuntur, hac damno coloni esse: veluti si vinum coacuerit, raucis aut herbis segetes corruptæ sint: sed & si labes facta sit, omnemque fructum rulerit, damnum coloni non esse: si supra damnum feminis amissis mercedes agri præstare cogatur: sed & si uredo fructum oleæ corripierit, aut solis fervore non adveto id acciderit, damnum domini futurum: si verò nihil extra consuetudinem acciderit, damnum coloni esse: idemque dicendum, si exterius præteriens per lasciviam aliquid abstulit: sed & si ager terræ motu ita corruerit, ut nusquam sit, damno domini esse: oportere enim agrum præstari conductori, ut frui possit.] Huiusmodi etiam infortunium esset, si rupto v. g.

ponce molendinum conductum destrueretur ab hominibus ibidem molere solitis. In Codice h. t. existat lex 8. [Licet certis annuis quantitatibus fundum conducez, si tamen expressum non est in locatione, ut si qua lue tempestatis vel alio cæli vitio dama accidissent, ad onus tuum pertinerent, & quæ evenerunt sterilitates, ubertate aliorum annorum repensatæ non probantur: rationem tui juxta bonam fidem haberi rectè postulas.]

Cum iure Civili consonat ius Canonicum c. 3. h. t. [Propter sterilitatem adficietem magno incommodo Conductores vitio rei sine culpa coloni, seu casu fortuito contingentem, colonis ecclesiæ tæ pro rata pensionis remissio est faciendâ, nisi cum ubertate præcedentem vel subsequentem anni valeat sterilitas compensari.]

496. DICENDVM 2. Si sterilitas non quidem est omnimoda, sed tamen magna, tunc de pensione cum proportione remittendum est: v. g. si vix media pars fructuum confverorum prodiit, dimidium pensionis remittendum est. Constat ex Iuribus adductis; ex quibus etiam,

497. DICENDVM 3. Si modica est sterilitas, nihil de pensione remitti cogitur Locator. Unde in lege 25. primo loco adducta dicitur. [Modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immo dicum lucrum non aufertur.] Et hoc sensu accipiendâ est legis 4. §. 1. ff. h. t. [Cum quidam de fructuum exiguitate quereretur, non esse rationem ejus habendam rescripto D. Antonini continetur. Item alio rescripto ita continetur. Novam rem desideras, ut propter vetustatem vincarum remissio tibi detur.]

Hinc autem redditur Conclusionis ratio. Nam quando colonus ob unius alteriusve anni non solum modicam, sed etiam immo dicam sterilitatem majorem, majus commo dum refert, non propterea augetur à locatore pensio: ergo si modicam patitur sterilitatem, non debet conductor conqueri, si pensio non minuat.

Dices. Hac ratione nimium probati, nempe, quòd neque minuenda esset ob immo dicam sterilitatem: nam sic servaretur paritas: nempe quia etiam ob immo dicam sterilitatem majorem non augetur pensio. Sed de hoc puncto agitur Contr. 12. interea obiter responderetur, etsi fortè ex natura rei (ut à principio dixi) res ita se haberet, æquitati tamen conveniens est, ut etiam ob immo dicam unius alteriusve anni majorem sterilitatem non augetur pensio, esto non nisi ob immo dicam sterilitatem sit minuenda: nam modica sterilitas frequentius accidit, quam immo dicam sterilitas major, imò ex pluribus causis potest timeri immo dica sterilitas, quam sperari immo dica fertilitas.

498. Quæres 1. Quamvis censenda sit immo dica sterilitas, & quomodo æstimanda. Aliqui regulam hanc ponunt, tunc esse immo dicam, quando non quidem semen sparsum colligitur, Alii tunc dicunt fore immo dicam, si solutis impensis & pensione, conductor ultra dimidium iusti pretii læderetur. Alii ad iudicis arbitrium recurrunt. Sed quam regulam ipse Index attendere debeat, ne detur processus in infinitum, explicandum esset. Alii ad circumcolectium opinionem nos remittunt. Sed horum circumcolectium opinio debet etiam regulam habere: non utique aliorum circumcolectium, quia in circumcolectibus denique venit ad terminum. Fundamentalis regula, secundum ea quæ alibi in simili tradidimus cum Theologis, est: illam esse immo dicam sterilitatem, ob quam, si non remitteretur aliquid de pensione, absterrentur coloni, ne fundos colendos conducerent: & quia hujus non potest haberi alia certitudo mathematica, recurrendum est ad bonorum virorum non partialium arbitrium, quod arbitrium non debet iterum aliam regulam habere, sed immediatè ex terminis & naturæ lumine, non quidem evidenter, & metaphysicè certitudine, sed probabiliter judicant, hanc lesionem mereri remissionem, non illam, & quando res est dubia, tunc ad pacificam compositionem & transactionem veniendum est. Quod si tamen aliqua regula magis determinata arripienda est, illa videtur cæteris præferenda, quam post Bartolum tradunt communis DD. quos etiam sequitur Lugo, nempe quando ob paucitatem fructuum, deducto semine & expensis, si solveter integra pensio, colonus læderetur ultra dimidium iusti pretii: v. g. si pensio solvenda sint 10. modii tritici, vel 100. aurei, & fructus adeo sint pauci, ut deducto semine & expensis non manerent 5. modii, vel 50. aurei. Ità Lugo, bene advertens, non esse sensum, quasi ab initio contractus fuerit injustus, sed quia ob infortunium secutum damnum grave pateretur colonus, & ideo ex Iuris benignitate illi conceditur remedium. Sicut enim (inquit) ad rescindendam venditionem, illam solum leges appellant notabilem lesionem, quæ emptori læditur ultra dimidium iusti pretii, sic in presenti, &c.

Vnde infert citatus Author, tantum esse de pensione remittendum propter sterilitatem, quantum sufficit, ut damnum conductoris non superet dimidiam partem pensionis solvendæ, deducto semine & expensis. Inter expensas autem etiam Conductoris industria & labor computatur, sicut computaretur, si alterius labore & industria agrum coluisset.

499. Quæres 2. Pro quo tempore copia vel paucitas fructuum consideranda & computanda sit. Videri posset esse tempus illud, quo colonus incipit fieri Dominus fructuum, nempe postquam eos collegit. Vnde sequeretur, quod si

in agro, etiam absque culpa Conductoris perirent, v. g. alluvione, vel incendio, vel pluviarum diurnitate, quòd damnum esset coloni, utpote Domini.

500. DICENDVM tamen est 4. tempus computandi esse, quando fructus jam sunt in horreo, vel similem locum v. g. cellam, aut stabulum recepti, adeoque jam plenus rei usus esse potest, ut docent præter Theologos etiam Juristi. Zæsius n. 24. & Georg. V. Vidman n. 34. Quod si domi Conductoris percant, v. g. si accendant, putrescant, damnum est Conductoris. Addit rectè Lessius n. 18. idem dicendum, si conditis in horreo fructibus, fulmen vel hostes calamitatem inferant. Hoc Lessii dictum Lugo suspectum habet, dicens, se non videre, quò jure fundetur. Ego autem non video, cur ad hoc Lugo speciale lus requiratur: nunquid enim satis Iuris est, quòd jam ante tale infortunium teneatur Conductor solvere pensionem, quia ex parte Locatoris Contractus est impletus?

501. Quæres 3. An, ad hoc ut Conductor penitus liberetur à solutione pensionis, sufficiat, si deductis expensis nulli fructus sint residui. Ratio dubitandi est, quia ex communi regula fructus non censentur, nisi deductis expensis. Affirmare videtur Bartolus. Sed rectius negat post alios Molina, & Lugo, docentes, requiri, ut nullo omnino fructus perciperit, adeoque & feminis jacturam fecerit; videturque supponi in lege 15. §. 1. ff. h. t. supra recitato, illis verbis. [Sed etsi labes facta sit, omnemque fructum rulerit: damnum coloni non esse, ut NB. supra damnum feminis amissis mercedes agri præstare cogatur.] Ergo jactura feminis requiritur, ut liberetur penitus à solutione pensionis.

Ex hæcenus dictis facile colliguntur exceptiones & casus, quibus paucitas seu sterilitas fructuum non excusat à solutione integræ pensionis Itaque

502. DICENDVM 5. Si sterilitatis causa non est insolita, sed sæpiùs accidere consuetâ, & quidem circa talem determinatum locum, cuiusmodi esset inundatio fluminum tali agro adjacentium, tunc de pensione non est necesse aliquid remitti. Solut ad hoc probandum adduci textus sup. relatus ex lege 15. §. 1. [Aut solis fervore non afflueto, oleæ corruptio acciderit, damnum Domini futurum esse: si verò NB. nihil extra consuetudinem acciderit, damnum coloni esse.] Quæ verba etsi Molina putat posse aliter intelligi, videntur tamen fatis clara. Ratio autem conclusionis est, quia tali periculo prævisio solent res minori mercede locari: Ergo Conductor tacite in se recipit huiusmodi casum suspicabilem.

Dixi: Quodammodo circa talem determinatum locum. Si enim tantum generatim respectu Regionis alicujus tale infortunium est consuetum,

sed est infirmum respectu talis loci particularis, non procederet conclusio, v. g. grandines & pruinae non sunt infirmæ respectu alicuius integræ Provinciæ, respectu talis fundi tamen rectè censentur infirmæ, & ideo Conductor per eas possit liberari ab onere solvendi pensionem.

503. DICENDUM 6. Quando sterilitas evenit culpæ Conductoris, nihil de pensione de lure remittitur. Colligitur ex l. i. ubi jam adductis, & insuper ex lege 25. §. 3. & 4. [Conductor omnia secundum legem conductionis facere debet, & ante omnia colonus curare debet, ut opera rustica suo quoque tempore faciat, ne intermissiva cultura deteriorem fundum faceret: præterea villarum curam agere debet, ut eas incorruptas habet. Culpæ autem ipsius & illud adnumeratur, si propter inimicitias ejus vicini arbores exciderit.]

Ex ultimis verbis movetur dubium, an deneganda esset pensionis diminutio, si sterilitas proveniret ex eo, quod colonus ob suum aliquod delictum coniectus esset in carcerem. Non esse denegandam docuit Alvarus Valasq. qui putat consequenter dicendum esse, quod etiam remittenda esset pensio, si ab inimico, cui colonus causam inimicitie dedit, proveniret. Sed cum hoc posterius sit contra apertum textum allatum, & peritas urgeat, dicendum potius est (quod etiam tenet Molina) non esse de lure remissionem faciendam.

504. Majus dubium est, an sit remittendum de pensione, si sterilitas putatur esse pœna Dei, v. g. quia colonus decimas non solvit. Affirmat P. Molina cum eodem Valasq. ex duplici fundamento. 1. Quia talis culpa non est ordinata ad inducendam sterilitatem. Hæc ratio non movet, quia ex ea probaretur, quod esset etiam remittenda, si causâ inimicitie fieret sterilitas. Nam non minus, nec magis ordinatur culpa dans causam inimicitie ad inducendam sterilitatem, quam culpa in non solutis decimis. neutram quidem ordinat ad sterilitatem colonus: at verò in priore casu eam ordinat inimicus, in posteriore Deus vindex. Imò & iudex in carcere non ordinat, & tamen P. Molina negat tunc esse remittendum de pensione: ergo talis ordinatio non requiritur. Secundum & melius fundamentum est, quia non constat, pœnam illam esse à Deo ob culpam infirmam: nec sufficit suspicio, alioquin ob nullam sterilitatem ex infirmitate supervenientem facile esset remissio faciendâ, quandoquidem plerumque suspicamus, esse permissam à Deo in pœnam. Si tamen constaret certò constaret (prout quandoque constare potest) consequenter ad priora dicendum est, nullam remissionem esse faciendam.

506. DICENDUM 7. Colono Partitio, qui quotam fructuum percipiendorum, v. g. tertiam, quartam partem (quantumque

sit) præstare debet, nihil remittitur de pensione ob sterilitatem. lege 25. §. 6. ff. h. t. ibi. [Apparet autem nos de eo colono dicere, qui ad pœnam numeratam conduxit. Alioquin NB. partitarius colonus quasi Societatis lure & damnus & luctum cum Domino fundi patitur.]

507. DICENDUM 8. Quando intra tempus locationis, præcedente vel subsequente sterilitatem anno, vel annis, sterilitas compensatur, etiam si anni illi non fuerint immediate proximi sterilitati, nihil est de pensione remittendum: & si remissio jam facta est, factâ per subsequentem fertilitatem compensatione repeti potest, quod remissum est. Si solum quoad partem est compensata, eum eadem proportione remissio cessat, & repeti potest quoad remissum est. Itâ habetur l. 4. pr. ff. h. t. [Si uno anno remissionem quis colono dederit ob sterilitatem; deinde sequentibus annis contigit ubertas, nihil obesse Domino remissionem, sed integram pensionem etiam ejus anni, quo remisit, exigendam; hoc idem & in vestigialis damno respondit. Sed est verbo Donationis ob sterilitatem anni remisit Dominus, idem erit dicendum, quasi non sit donatio, sed transactio. Quid tamen si novissimus erat annus sterilis, in quo ei remisit? Verius dicitur, est superiores uberes fuerint, & sciet locator, non debere eum ad computationem vocari.] Id est, censetur verè remissionem esse donationem. Ergo per argumentum a contrario, si ignoraret fertilitatem priorum annorum, possit compensare, nec censetur remittendo donare.

Eadem compensatio supponitur in l. 8. C. h. t. jam supra recitata illis verbis: *Quæ eventuum sterilitates, ubertates aliorum annorum repensate non probabuntur.* Adspicitur Ius Can. cap. 3. h. t. illis verbis. *Nisi cum ubertate præcedentis, vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari.*

Dicendum est in Conclusionem: *Intra tempus locationis.* quod intelligendum est, etiam quando tempus locationis ex tacito consensu prorogaretur: (quod quomodo fiat, infra dicitur) non autem procederet, si essent separati contractus, tunc enim compensationis non esset locus: quia mens & intentio legis concedentis compensationem, est restricta ad eundem contractum, ut nempe vi hujus contractus Conductor non sentiat detrimentum notabile.

508. Restat controversia similis illi de sterilitate supra discussæ, quanta debeat esse ubertas præcedentium aut subsequentium annorum, ut censetur fieri compensatio. In quo puncto quisvis discerneret proportionaliter ad ea, quæ de sterilitate consuevit. Itaque Card. Lugo, cujus regulam in sterilitate supra retuli & alius prætulit, hic consequenter docet n. 49. tantam ubertatem debere esse, ut computatis semine, expensis aliorum annorum, & pensionibus solutis, tantum lucrum remanserit Conductori, ut addito illo lu-

cro

cro huius sterilitatis anno damnum præfens desinat esse notabile, hoc est, non cogatur Conductor ex suo solvere plus quam dimidiam partem pensionis præsentis.

CONTROVERSIA XII.

Virum propter insolitam ubertatem fructuum, à conductore exigere possit augmentum Pensionis.

SUMMARIUM.

Sententia Parisiæ Molina distinguens inter ubertatem ex casu fortuito, & ex industria, rejicitur.

509.

Universalius negandum est, esse augendam pensionem. 510.

Ratio Hunni non est adequata. 511.

Ratio melior ex Card. de Lugo. 512.

509. Quæstio procedit in casu, quo conductor non renunciauit casibus fortuitis, nam hæc renuntiatio factâ non est dubium, & equitati consentaneum esse, ut sicut in solita sterilitate nocet conductori, itâ eidem profit insolita ubertas.

P. Molina relatis aliorum opinionibus, & conciliaturus Auctores, docet, quod quando illud augmentum ubertatis provenit ex casu fortuito, & non ab industria coloni, nec ab ipsa naturali bonitate fundi, tunc esse augendam pensionem, non item si vel ab industria conductoris, vel aliunde, concurrente bonitate naturali rei locate. Molinam sequitur Layman c. 22. n. 8. & ex Iuristis Georg. V. Vidman. n. 36. Casum fortuitum specificat in Molendino: v. g. si casu fortuito eveniat, ut alia vicina Molendina destruantur, & inde proveniat, ut omnes ad hoc conductum Molendinum recurrant, unde valde crescit lucrum ex Molendino. Rationem hæc distinctionis reddit Molina hæc: quando fructus augentur ob anni fertilitatem, pretium fructuum solet esse multo minus, & iniquum esset, si propter fructuum multitudinem, qui tamen valori pretio venduntur, pensio esset augenda: quando autem ex casu fortuito lucrum provenit, æquitas postulat, ut locator sicut sentiret damnum ex casu fortuito, itâ & sentiat lucrum.

Rationem hanc tanquam insufficientem ex triplici capite rejicit Lugo, & merito. Primo: quia quando pauci fructus ob anni sterilitatem percipiuntur, crescit pretium fructuum, sicut decrevit ob ubertatem: ergo deberet eadem esse obligatio in conductore & in locatore quoad augmentum & diminutionem fructuum, absque ulla differentia inter illos. Secundo. Sicut hæc

ritas potest esse propria hujus fundi, qui grandine læsus est, aliis indeminibus, sic ubertas poterat esse hujus solius fundi, qui immunis mansit, aliis læsis. Ergo non est major ratio inveniendi pensionem, quam augendi. Tertio, si pensio solvenda est in fructibus, v. g. 100. modis, parum inter est, quod pretium fructuum sit vilis: imò ideo deberet conductor perceptis duplo pluribus fructibus quam alias solebat, dare 200. modios, quia 100. modii minus valoris afferunt Locatori.

510. DICENDUM ergo videtur, absque ulla distinctione aut exceptione casus fortuiti, nunquam esse augendam pensionem, undecunque & quantumcunque crescat ubertas. Itâ ex Theologis sentit Lugo n. 52. ex Iuristis Hunnius q. 24. in *Trenul.* Eandem sententiam esse præxi communi receptam, testantur Pinellus, Eman. Suarez, Valasq. Salicetus, Ribellus, Fillivicius, & alii. Textus autem juris est clarus præcedente Contr. adductis ex lege 15. §. 6. ff. h. t. ubi dicitur. [Modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non auferatur.]

511. Rationem conclusionis reddit Hunnius his verbis: [Ratio diversitatis inter sterilitatem & ubertatem] inquit, hæc esse videtur, quod sterilitas magna, de qua loquimur casu fortuito contingat, ubertas verò vel propter personam industriam, ut qui diligentissime colit fundum, vel propter agri bonitatem, quorum neutro casu pensio augenda videtur: non priori, quia ubertas ex industria & labore conductoris proveniens, nemini nisi ipsi conductori lucro cedat, æquissimum est. Non etiam posteriori: quia intuitu hujus agri bonitatis intelligitur tantâ mercede locatus esse. Hæc ratio non adæquat conclusionem, quia supponit falsum, nempe nunquam ex casu fortuito (qualem ex Molina retuli) posse ubertatem provenire.

512. Optimam rationem reddit Card. de Lugo, cur leges diversimodè statuerint de insolita ubertate & sterilitate. quia nimirum sterilitas fructuum damnium intolerabile misero conductori afferbat, lucrum verò ingens ejusdem nulli proflus nocebat, cum non ideo locator quidquam perderet pensionis sibi promissæ. Voluit itaque lex misero subvenire, nec facturam faceret suorum bonorum sine ulla proflus commiseratione aut subsidio: non tamen necesse erat, locatori subvenire, ut plus etiam lucraretur, quam ipsemet suâ contentus forte lucrâsi voluerat. Itâ Lugo. quæ rationem fortassis voluit indicare Baldus paucis verbis, sed rem non satis explicantibus, dum dixit: hæc esse diversitatis ratio, quod ubi multi sunt fructus, ibi sit gaudium, ubi sterilitas, ibi luctus & dolor.

X 3

CON-

CONTROVERSIA XIII.

Quaedam alia dubia circa Mercedis solutionem aut remissionem expediuntur.

SUMMARIUM.

An liberetur conductor pro rata temporis si domus reddatur inhabibilis. 513.
 Quidsi conductor domum ideo relinquit, quia jam peste infecta est, vel ut ad securiorem locum se conferat. 514.
 Quidsi conductor in causa est, quod non possit in domo locata, ad quid tenebitur. 515.
 Quidsi facta locazione alteri, cesset impedimentum respectu primi conductoris. 516.
 An locator teneatur ad interesse, si ipse sit causa impedimenti. 517.
 An sicut venditor non teneatur emptori ad damnum extrinsecum, ita nec locator. 518.

513. **D**ICENDUM 1. Si domus locata propter hostium irruptionem vel periculum illius, propter incendium, propter ruinam quam minatur, propter lemurum infestationes, aut ex simili causa, destinata esse habitabilis, liberatur conductor à solutione pensionis pro rata temporis. Habentur hæc seqq. l. 27. §. 1. ff. h. r. [Iteum interrogatus est, si quis timoris causa emigrasset, deberet mercedem necne. Respondit: si causa fuisset cur periculum timeret, quamvis periculum verè non fuisset, tamen non debere mercedem: sed si causa timoris iusta non fuisset, nihilominus debere. l. 33. jam sup. relata. l. 13. §. 7. eod. Exercitu veniente migravit conductor, deinde hospicio milites fenestras & cetera sustulerunt: si domino non denunciavit, & migravit ex loco, tenebitur. Labeo autem, si resistere potuit, & non resistit, teneri ait: quæ sententia vera est: sed & si denunciaverit non potuit, non puto eum teneri.]

Major difficultas est, an tempore pestis liceat deserere domum conductam, mercede non soluta nec solvenda. Aliqui, quos sequitur Molina, affirmant. Alii negant, & pro se adducunt praxim. Sed cum distinctione responderi potest cum Card. de Lugo, &

514. **D**ICENDUM videtur 2. Si conductor domum ideo relinquit, quia jam ipsa peste infecta est, non teneri ad solvendam pensionem. Si verò deserat, ut ad securiorem locum se conferat, eò quod civitas infecta sit, non tamen illa domus, tenebitur. Ratio est, quia in tali casu, cum alii cives soleant in domibus necdum infectis permanere, non videtur causa satis urge ns ad deserendam domum, quando quidem

tali casu non solum solent locari domus, sed etiam plures estimari, dum sunt immunes à Lue.

DUBITATUR ulterius, si conductor in causa est, cur non possit uti domo locata, & ideo teneatur ad solvendam pensionem, an teneatur totam solvere, si eandem domum dominus alteri locavit, vel saltem locandi occasionem habuit, sed neglexit. P. Lessius opinatur, tantò minus teneri, quantum potuisset dominus locando lucrari. Contra quem

515. **D**ICENDUM videtur, 3. Dominum posse totam pensionem exigere, si eam alteri non locet. Si verò alteri locet, tunc tantò minus posse de pensione accipere à priore conductore. Ità reipsa tenet Lugo n. 30. Ratio prioris est, quia dominus non tenetur supplere negligentiam primi conductoris, qui, ut supra vidimus, potest ipse domum locare alteri: sibi ergo impuret, si non locet. Ratio posterioris est, quia si dominus alteri locet, pensio ab hoc solvenda debetur primo conductori, cui fructificat domus conducta, quamdiu durat prior locatio & eius obligatio.

516. Hinc autem inferitur, quod facta locazione alteri, etiam si cesset impedimentum respectu primi conductoris, non possit tamen rediens conductor cogere locatorem ad restituendam rem locatam, & continuandum secum contractum, quia res non est integra: si tamen res non esset alteri locata, tunc redeunte primo conductore, potest cogere locatorem, & ab eodem cogi ad continuandum contractum: quia, ut dixi, obligatio adhuc durat. Non posset tamen, etiam cessante impedimento, si reditus esset locatori difficilis, cogi ad redeundum, sicut nec contra locator cogi potest ad non locandum alteri.

517. **D**ICENDUM 4. Impedimento proveniente à locatore potente illud impedire, & non impediende, vel potente monere conductorem, & non monente, tenetur locator non solum ad remittendam pensionem, sed etiam ad interesse. Ratio generalis est, quia injustè formaliter (ut suppono) dat causam damno. ergo tenetur resarcire, conformiter regulis restitutionis pro iniqua lesione, alibi traditis.

518. **Q**ueres, an sicut venditor solum tenetur emptori ad damnum intrinsecum, non item ad extrinsecum, ita etiam locator. P. Molina & ex eo Lugo tenent, quod sit disparitas inter hos contractus, non quidem ex rei natura (nam seclusis legibus in utroque esset obligatio etiam ad damnum extrinsecum) sed ex lege: nam lege n. 3. ff. de a. r. emp. hoc quidem statuitur de emptione: sed quia hoc est exorbitans à iure communi, & ita est statutum ad minuendas lites, ideo non est extendendum ad contractum locacionis. Ego tamen iudico valde probabilem sententiam Gregorii Lopez, qui negat in con-

tractu

Contr. XIV. Conductor ex qua culpa teneatur.

tractu locacionis teneri locatorem ad damnum extrinsecum, nisi conductor esset Mercator. Itaque censet, quod in neutro contractu teneatur ad extrinsecum damnà, nisi tale sit, quod moraliter poterat prevederi, & ita intelligi §. citatum, circa quem non procedit interpretatio Molinae & Lugo: quia ille §. non est alicujus legislatoris sed Pauli l. C. qui se in ipsa rei natura fundat, & sic loquitur. [Cum per venditorem steterit, quominus rem tradat, omnis utilitas emptoris in assimilationem venit, quæ modo circa ipsam rem consistit: neque enim si potuit ex vino negotiari, & lucrum facere, id assimilandum est, non magis quam si triticum emerit, & ob eam rem, quod non sit traditum, familia ejus fame laboraverit: nam pretium tritici non serotinum fame necatorum consequitur] (emptor.)

CONTROVERSIA XIV.

Quam culpam prestare teneatur Conductor.

SUMMARIUM.

Refertur Regula generalis, quæ culpa ex contractu quovis prestanda sit. 519.
 Conductor ad quam culpam prestandam teneatur. 520.
 Intellectus §. 1. Instit. de Locat. 521. & seq.
 Intellectus legis 25. §. penult. ff. Locati. 523.
 Referuntur varia exempla culpe levis. 524.

519. **R**EGULA generalis circa contractus est, quod si natura contractus ejusmodi sit, ut solius dantis utilitas versetur, velut in Deposito, non debeat prestari, nisi dolus, & culpa lata: quando solius accipientis utilitas est, etiam levissima culpa prestanda sit, ut in Commodato: quando utriusque utilitas versatur, præter dolum lata, & levis culpa prestanda sit, & hujusmodi est præsens contractus alique de quibus suo loco, ubi etiam videbimus, an hæc Regula pariatur exceptionem in Mandato, & in Commodato detento ultra terminum: habetur autem Regula hæc de R. l. 23. [Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt, quidam & dolum & culpam: dolum tantum depositum, & precarium. dolum & culpam mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, item dotis datio, tutelæ, negotia gesta: in his quidem & diligentiam, Societas, & rerum communio & dolum & culpam recipit. sed hæc ita, nisi si quid nominatim convenit vel plus vel minus in singulis contractibus: nam hoc servabitur, quod initio convenit. legem enim contractus dedit.] Adhuc distinctus in l. 5. §. 2. ff. commodati. ibi. [Et quidem in contractibus interdum dolum solum, interdum & culpam præstamus: dolum in deposito, quia nulla utilitas

ejus versatur, apud quem depositum, merito dolum præstatur solum, nisi forte & meras accessit: tunc enim & culpa exhibetur: aut si hoc ab initio convenit, ut culpam & periculum præsteris, penes quem depositum. Sed ubi utriusque utilitas versatur, ut in empto, locato, dote, pignore, societate, & dolum & culpa præstatur.] In his legibus sub nomine Doli etiam lata culpa venit, quæ dolo comparatur. sub nomine culpa culpa levis. Porro, differentiam culpam latæ, levis, levissimæ, explicui ro. 1. tr. 2. His suppositis

Controversia est, qualem culpam prestare debeat Conductor. Donellus, & post eum Hunnius *variarum Resol. tr. 7. p. 2. q. 6.* docent, ex natura Contractus hujus etiam levissimam culpam esse prestandam. Hæc sententia etsi pro se habeat speciosioris textus, quia tamen est contra torrentem DD. & contra claros Iuris textus jam allatos, ideo,

520. **D**ICENDUM est, Conductor rem, per se loquendo, & nisi vel expressè vel tacitè aliud inter eos convenit, teneri solum ad culpam levem, hoc est, ad illam diligentiam præstandam, quam solent communiter patresfamilias non incurri in suis rebus adhibere. Probatur, tum textibus jam allatis, tum lege 3. §. 1. ff. *Nautæ, Campanes, &c.* ibi. *Quia in locato conductor culpa, in deposito dolum tantum præstatur.* Culpa autem levissima non venit in iure nomine Culpæ sine addito positæ, ut patet in exemplis allatis in l. 5. §. 2. ff. *commod.* ubi idem in locatione, quod in Societate, pignore, &c. statuitur, de quibus etiam ad versari fatentur, non præstari culpam levissimam.

Ad hos ergo textus respondet nimis divinatorie Hunnius, locacionem & conductionem subjici tanquam exemplum illius contractus, in quo utriusque commodum vertitur, non verò ejus, ex quo levissima culpa non est prestanda (in meo exemplari est omnia particula non. sed utriusque subintelligenda, alioquin Hunnius contra seipsum pugnat.) quam responcionem fatetur ipsemet, posse alicui divinatoriam videri, nisi ut ipse putat] stabiliter textibus aliis quos professert: sed reverà non sunt ita irrefragabiles, ut ipse putat. Itaque

521. **O**bjiciunt adversarii 1. & præcipue §. 1. h. e. ubi dicitur. [Qui pro utu aut vestimentorum, aut argenti, aut jumentum mercedem aut dedit, aut promisit: ab eo custodia talis desideratur, qualem diligentissimus paterfam. suis rebus adhibet.] Ad hunc textum varie responciones excogitatz sunt. Henricus Boerius post glossam, V. Vesebenicum, Borcholt, Petrum Fabrum, Treutlerum, Bachovium, & alios, respondet, in hoc §. superlativum esse positum pro positivo: sicut contra non semel in iure positum ponitur pro superlativo. Sed hæc responcio est difficilis, nec est bona instantia, quod aliquando

pona.